



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 114. Constantinus Joannis Palæologi frater Imperii Successor

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

nestis diffensionibus in Imperiali familia
 grassantibus extreme erat desolatum.

Sæcul. XV.
 A. C. 1445.

Quippe quatuor Joannis Fratribus sine
 prole decedentibus, ceteri duo natu ma-
 jores Constantinus, & Demetrius inter
 se de imperio contendebant, Constantino
 illud jure primogenituræ sibi vendicante,
 Demetrio autem natalium suorum præ-
 rogativam obtendente, eoquod ipse Ma-
 nuele Patre suo ad solium jamjam eve-
 cto genitus esset.

§. CXIII.

*Amurates a Græcis circa Imperatoris
 electionem in consilium vocatus.*

Populus Constantino, utpote animi
 moderatione, ac ingenuitate Fratrem
 suum longe superanti favebat; cum vero
 Demetrius non minorem pro se haberet
 factionem, Græci, quem eligerent, ab
 Amurate consilium quærebant, perinde
 ac si ipse jam tum Dominus & Imperii
 arbiter esset.

§. CXIV.

*Constantinus Joannis Palæologi fra-
 ter imperii Successor.*

Amurates delatam sibi Constantinum,
 quem potissima urbis pars Imperato-
 rem renuntiaverat, confirmandi auctori-
 tatem

Hist. Eccles. Tom. XXVIII. l. I

Sæcul. XV. A. C. 1445 tatem lubenti admodum animo acceptabat: hæc res, quo magis prosperum felicitatis futuræ eventum Turcis, eo magis funestum Græcis præfagire videbatur. Igitur Constantinus factus est Imperator magis, ut Imperium finiret, quam ut regeret; ferme enim nihil amplius restabat, quod administraret, præter urbem ipsam, cui vel soli defendendæ non supererant vires.

§. CXV.

Mors Panormitani Archiepiscopi.

Dupin. Biblioth. tom. 12. in 4to. pag. 98.

Eodem quoque anno celeberrimum Abbatem Panormitanum, cujus frequentem in Historiæ nostræ decursu mentionem fecimus, pestis violentia e viuis eripuit. Vir erat ævo suo in Decretorum scientia longe versatissimus, prout evidenti testimonio comprobant ejusdem lucubrationes, quas de Basileensi Synodo ad posteros transmisit. Ipus quoque omnium in hac Synodo gestorum potissimam habuit partem, sed non modicam quoque animi sui inconstantiam prodidit, cum Eugenio Papæ modo faveret, modo rursus adversaretur. Scripsit commentarios in quinque libros Decretales, in epistolas Clementinas, & in earum glossas; item centum octodecim consilia, & septem quæstiones; necnon Thesaurum